



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

XII. An seruandæ sint iuris solennitates in cessione iuris, vel actionis? Vbi etiam quid dicendum in transactione rerum, quæ possidentur ab Ecclesia, & in remissione pœnæ caducitatis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

DVBITATIO XII.

An seruandæ sint iuris solennitates in cessione iuris, vel actionis? Vbi etiam, quid dicendum in transactione rerum, quæ possidentur ab Ecclesia, & in remissione pœnæ caducitatis?

S V M M A R I V M.

- 1 In cessione iuris acquirendi non sunt seruandæ iuris solennitates, secus autem est in cessione iuris acquisiti.
- 2 Prælati in iure acquirendo potest præiudicare Ecclesia.
- 3 Transactio, remissio, vel concordia de rebus ab Ecclesia possessis, fieri non potest sine iuris solennitate.
- 4 Transactio, remissio, vel concordia probabiliter fieri possunt de rebus, in quarum possessione nondum existit Ecclesia, & consequenter de religiosa, præsertim si sit magni dispendij Monasterij.
- 5 Transactio, remissio, vel concordia probabiliter fieri potest, etiam de rebus, in quarum possessione iam existit Ecclesia, si iniuste possideat.
- 6 Transactio, remissio, vel concordia de decimis futuris fieri non potest, licet fieri possit de præteritis, non sic cessio iuris acquisiti circa res futuras.
- 7 Cessio litis, vel causa fieri non potest sine solennitate iuris, quia & talis cessio est quædam alienatio, cum & ipsa sit cessio iuris iam acquisiti.
- 8 Cessio legati, vel hereditatis relicta fieri non potest sine iuris solennitate, quia talis cessio est etiam alienatio, cum sit iuris acquisiti, & non acquirendi.
- 9 Prælati, vel Beneficiarii, qui est Dominus directus emphyteusis facere potest sine solennitate iuris remissionem caducitatis emphyteutæ, qui incidit in commissum ob non solutum canonem.
- 10 Limita dummodo Prælati, vel Beneficiarii non declarauerit se velle incursum esse caducitatem, quia in tali casu non videtur posse illum remittere.
- 11 Emphyteuta incidit in caducitatem à die, qua proprietarius declarat se velle caducitatem incursum esse.
- 12 Caducitas censetur remissa, si Prælati, vel Beneficiarii recipiat pensionem, & canonem pro tempore elapso.

Respondetur distinguendo, seruandas non esse in cessione iuris acquirendi, seruandas autem esse in cessione iuris acquisiti. Prior pars probatur, quia in priori casu non est alienatio, & Prælati potest præiudicare Ecclesiæ in iure acquirendo. Sic communiter Doctores. Vide *suprà* sct. 5. Posterior pars probatur, quia in posteriori casu est alienatio, & ius acquisitum computatur inter immobilia, vel mobilia pretiosa. Vide *suprà* dub. 1. & 2.

3 Ex dictis sequitur primò, quod fieri non possit sine solennitate iuris transactio, remissio, vel concordia de rebus ab Ecclesia possessis: & in hoc conueniunt Doctores, quia tunc alienatur ius acquisitum, quamvis probabiliter fieri possit de rebus in quarum possessione nondum existit Ecclesia, quia tunc non alienatur quod habet Ecclesia, sed quod speratur sub dubio haberi, remittitur pro alicuius rei certæ acquisitione; sicuti ex probabili dicebam *suprà* dub. 6. & docent Thom. Delbene de Immunit. Eccl. Pars II.

Rebuff. in *compend. alienat. num. 21.* Quaranta *verb. Alienatio, num. 20.* & 43. Barbofa de *potest. Episcop. alleg. 95. n. 63.* Bonac. *disp. 3. quest. 8. punct. 4. n. 20.* & alij, quos ibi citabam. Quapropter recte ait Bordonus *resol. 27. n. 59.* & *seqq.* posse Regulares transigere super re litigiosa, præsertim si sit magni dispendij Monasterio, quia res litigiosa non dicitur Religioni incorporata, & consequenter non est, cur non possit fieri super illa transactio, præsertim ad evitandum damnum, quod Monasterio ex lite immineret. Quin & fieri potest transactio etiam de rebus in quarum possessione iam existit Ecclesia, si iniuste possideat; quia tunc non est alienare rem Ecclesiæ, cum Ecclesia in illam nullum ius habeat, vti suppono.

Sequitur secundò, quod fieri neque possit sine solennitate iuris transactio, remissio, vel concordia de decimis futuris (quamvis fieri possit de præteritis) quia & talis actio etiam est quædam alienatio, cum sit cessio iuris acquisiti circa res futuras. Sic Abbas, Rebuffus, & alij, quos citat, & sequitur Quaranta *n. 20.* Riccius *decis. 41. & 46.* & Genuensis in *praxi. 60. n. 19.* vbi refert sic esse à Rota decisum.

Sequitur tertio, quod fieri neque possit sine solennitate iuris cessio litis, vel causæ; quia & talis cessio est etiam quædam alienatio, cum & ipsa sit etiam cessio iuris iam acquisiti, vt ait Armilla *verb. Alienatio, n. 16.* & alij quos citat Quaranta *n. 22.* Idemque dicas de concessione seruitutis. Quaranta, Redoanus, Sopran, in *locis suprà cit.* & alij communiter.

Sequitur quarto, quod fieri neque possit sine solennitate iuris cessio legati, vel hereditatis relicta; quia talis cessio etiam est alienatio, cum sit cessio etiam iuris acquisiti, non acquirendi: quamvis oppositum sit etiam probabile, idque ex opposita ratione; quia scilicet dicta cessio non est alienatio, cum ex probabili etiam sit cessio iuris acquirendi, non acquisiti. Vide *cit. dub. 6.*

Sequitur quinto, quod è contra à Prælato, vel Beneficiario, qui est Dominus directus emphyteusis, fieri possit sine solennitate iuris remissio caducitatis emphyteutæ, qui incidit in commissum ob non solutam pensionem; quia talis remissio non est cessio iuris acquisiti absolute, sed acquirendi, si scilicet ipse Prælati, vel Beneficiarius voluerit. Sic Clarus §. *emphyteusis, q. 10.* Vgolin. de *potest. Episcop. cap. 14. §. 7. n. 5.* Quaranta *n. 44.* vbi refert Ruinum, Cæpollam, & alios. Rebellius de *obligat. iust. lib. 13. q. 11. n. 7.* Sanchez de *marim. lib. 6. disp. 4. n. 13.* Barbofa de *potest. Episcop. alleg. 95. n. 64.* Ricc. *decis. 135.* (vbi refert Mastrillum, Valascum, & Afflict.) & *decis. 136.* & Bonac. *q. 8. punct. 4.* quidquid dubitare videatur Lezana *p. 2. c. 19. n. 58.*

Hoc tamen, quod modò dixi, intellige, dummodo Prælati, vel Beneficiarii non declarauerit, se velle incursum esse caducitatem; quia in tali casu non videtur posse illam remittere, cum censetur tunc acquisitum esse ius Ecclesiæ, siquidem emphyteuta incidit in caducitatem à die, qua proprietarius declarat, se velle caducitatem incursum esse, vt communiter Doctores in *tract. de emphyteusi.* Vide Lessium de *iust. & iure, lib. 2. cap. 24. dub. 9. n. 46.*

An verò præsumatur caducitas remissa, quando Prælati, vel Beneficiarii recipit pensionem, & Canonem pro tempore elapso? Affirmant, si nulla facta fuerit protestatio, Ruinus, Curtius, Socinus, Parisius, & alij, quos citat, & sequitur Menoch. *lib. 3. pres. 112. n. 1.* Clarus §. *emphyteusis, q. 10.* & Bonacina de *emphyteusi, punct. 2. n. 15.*